



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1657

§. 114. Et hic cum illo erat. v. 57.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

sedebat; piæque lacrymæ ex oculis sudabant, & hoc videns ancilla domus, gaudens de Christi captivitate, petulans & garrula intuita est eum contentius, cumque observans mores præ cæteris habere militibus honestiores, volensque placere ministris aliis, cum Petro tragædiam incepit. Quis quid autem sit Ecclesiasticis viris, video periculum imminere ab ancilla.

O Deus serva omnes sacri instituti personas, ab effreni & impudenti fœminarum loquela & conversatione.

§. 113. *Et eum fuisset intuita, dixit. v. 57.*

Post aliquod spatium considerationis suæ tam quo ad mores, gestus, habitum, loquelamque Petri sedentis ad focum, cum iniquis & petulantibus militibus judicavit Petrum non esse e numero eorum, sed potius e numero sequentium Iesum. Vnde commota, partim ex arrogantia, partim ex malitia & petulantia, prodebat Petrum subpallidum et si is nulla rei vel alteri molestiam crearet.

Vide anima mea gradus per quos veniat Ecclesiasticus in periculum, vidit Petrum, ancilla, fuit eum intuita attentius, cœpit cum eo loqui & Petrus nec eam curans, nec respiciens tamen cito est lapsus. O misera humanæ naturæ, in malum pronæ, quam facile in culpam declinat, qui hoc fati fundo explicabit. Ipsa Petra Ecclesia designata ancilla loquente cadit.

§. 114. *Et hic cum illo erat. v. 57.*

Quis genius tibi dixit, quod tam audacter affirmas (ô petulans mulier) quod hic cum Christo erat, quem alias foris nunquam vidisti; quem loquentem non audisti? morum credidero gravitas, & pietatis honestas; & ideo juxta Regulam Apostoli, pati cogitur Petrus nimirum, omnes qui pie vivunt, & Christum sequi, persecutionem plerumque patiuntur, ab impiis. Nempe tum quod magis vexatur Petrus, quia iste iam cum impiis conversabatur, cum impiis sedebat verbo communicabat, pœnam ergo suæ conversationis luere permittebatur, ut cito inde fugeret; & ad Christi discipulos converteretur, ne peius quid eveniret. Quid autem ancilla ista dicebat; bonam fructum Petro exprobrabat, nempe esse cum Christo, & simul calumniam jungebat dicendo, *Erat*; quasi diceret, defecit, non est jam amplius. Ecce talia venena in paucis verbis eius abscondebantur.

Deus meus, averte oculos meos, ne videant vanitatem, & aures meas sepi spinis, ne audiant malitiam, maximè verba incantatricis valentis ad apostasiam deducere cœli columnas.